

taret, renuit id facere ex metu, qui nescio an sit sufficiens ad solvendum naturalis matrimonii vinculum ex privilegio S. Pauli.

Iussus Suljo ad me venire, interrogavi illum coram Maria, velitne cum eadem cohabitare sine contumelia Conditoris et promittere ut utriusque sexus proles catholicae evadant, respondit affirmative.

Reliqui eos solos per aliquod temporis spatium. Postea venit ad me Maria et dixit mihi se nolle cum Suljo cohabitare et velle transire ad alias nuptias cum catholico, vel malle potius innuptam manere quam cum suo infideli marito vivere.

Maria accepti a suo avunculo, benestante mahumetano, literas, quas ego ipse legi et quibus illi avunculus promittit pecuniam, se et donum quam ex pluribus vellet empturum, si iterum redeat ad mahumetanismum. Dixit ergo mihi Maria: «Putasne tu hoc factum esse sine mei mariti consensu? Deinde maritus meus dolore afficitur, quod mihi non fregerit costam aliquam et me inhabilem non fecerit ita ut nec Deus nec diablo usme velit.»

Quando ergo illi conabar difficultates solvere et spem forsitan adesse dixit ut Suljo convertatur respondit, eum nequaquam nostram religionem amplexurum esse, atque addidit: «Velles tu vel una nocte cum Suljo in eodem cubiculo pernoctare?»—Et quando ego respondi negative, dixit mihi: «Quare ergo me cogis ut ego cum illo cohabitarem et vitam ducam?»

Si quis me interrogaret in genere, ut dicerem obiective, an mahumetanis credendum sit, quando dicunt se velle pacifice cohabitare cum sua uxore conversa, responderem tuta conscientia non esse credendum. Si autem me quis interrogaret de Suljo, deberem respondere, talem impressionem eum facere ac si veritatem diceret; attentis tamen omnibus quae Maria dixit, forsitan posset affirmari non esse sperandam pacificam cohabitationem.

Quando agebatur de Mariae conversione, tunc putabam necessarium consilium ei dare, ut interim pergat at maritum suum, donec ibi mediantibus catholicis feminis bene instruat et imbuetur doctrina catholica. Ast illa mihi respondit: «Ecce tu es vir prudens, et quomodo potes mihi tale consilium dare? Si meus maritus amplexus esset catholicam fidem et ego manerem mahumetana, ego interficerem illum; quomodo ergo

pergerem ad illum et me vitae periculo exponerem?»

Addo saepius accidisse ante Bosniae occupationem, ut a parentibus et cognatis mahumetana occideretur, quando amplexa est religionem catholicam.

Hinc quum Maria in peccati periculo versetur, Beatitudinem Vestram simplex rogo ut aut vi privilegii Paulini, aut suprema potestate, si causae separationis a coniuge infideli non censeantur sufficientes, vinculum matrimonii inter Mariam et Suljo B. quantocius solvere dignetur.

Sacros pedes exosculans summa qua per est reverentia permaneo.

Beatitudinis Vestrae indignus filius.

SAPAIEVI DIE 16 OCT. 1894.

† JOSEPHUS.

Beatissime Pater, Archiepiscopus Sapaieven, et Vhrbosnen. ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus exponit:

Maria B., mulier quaedam ex mahumetana religione duobus abhinc annis ad fidem catholicam conversa, cupit cum aliquo viro catholico novum matrimonium inire, relicto iam suo priore marito Suljo B., infideli ac renuente converti. Quamvis enim iste adfirmaverit, se velle cum eadem habitare sine contumelia Creatoris prolemque utriusque sexus in catholica religione educare, mulier tamen e contra persuasa est de mala ac subdola eiusdem intentione hanc arguens tum ex quibusdam litteris proprii avunculi, qui eam allicit ad mahumetismum iterum amplectendum, forsitan non sine consensu ipsius Sulji, tum ex eo quod hic manifestavit desiderium male eam habendi, tum ex eo quod mahumetani maximo odio prosequuntur mulieres ad christianam fidem conversas, quae proinde a parentibus et cognatis quandoque occiduntur.

Quapropter Archiepiscopus orator humiliter rogat, ut Sanctitas Tua vi aut privilegii Paulini aut supremae suae potestatis, vinculum matrimonii inter Mariam et Suljo B., quantocius solvere dignetur.

FERIA IV DIE 28 NOVEMBRIS, 1894.

In congregationi generali S. R. et Universali Inquisitionis, examinato suprascripto supplici libello ac perpensis omnibus tum iuris tum facti momentis, praehabitoque DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales in rebus fidei et morum decreverunt:

SUPPLICANDUM SSMO. PRO DISPENSATIONE AB ULTERIORE INTERPELLATIONE ET MULIER UTATUR PRIVILEGIO PAULINO.

Feria V. die 29 dicti mensis, facta de